



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Dvnstanvs Ep. 19. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

hi ex crescere sæpè stipem exiguam fecerunt, ut bene multis sufficeret. Ipse CHRISTVS, mendicium præferens, mensæ illius ( Superi, qualis hospes ! ) assidere, & abiturus bene precari voluit. Inde ille jam medicus etiam omnes passim morbos pellere, flammæ precibus extinguere, crucis signo per aquas sibi viam facere, demum fati sui non ignarus, stramentis incubare, & morienti, quem manu tenebat, CHRISTO immori, ut ante hominum semper, ita etiam tunc ante DEI tribunal victor. Tam bona, ô Iurifconsulti, pauperum est causa! *Ex Surio.*

S. DVNSTANVS EP. 19. Maii.

Inter Angelos, quos Anglia genuit, etiam DVNSTANVM numera, cui ferum fuit, miracula in cunis inchoare; nosci prius, quàm nasci voluit. Mater eo grvida Purificatæ Virginis die Numini supplicabat: cum repente extinctis occultâ vi templi facibus, tota urbs cohorruit. Paulò post diviniior ignis, rectâ ad Dunstani parentem delapsus, ejus cereum accendit, unde reliqui lumen mutuati matrem novi sideris consalutarunt. Confirmavit postea omen Angelus, qui delatum in templum puellum ad omnes Aras circumduxit, futurum pollicitus, uti ejus operâ Religio refloresceret. Eas spes paulò post mor-

morbus labefactavit. Adstabant amici animam agenti, cum ille repente lectulo exiliens, ad templum intempeſtâ nocte properavit. Eam pietatem cum Stygii canes allatrarent, puer audaciam Cerberorum virgulâ compescuit. Templo exclusum Angeli ad aram subvexerunt, ubi poſtridie ſopitum familiares reperere. Hæc præludia fuere crescentium cum ætate virtutum, quarum reliquas usu, caſtitem etiam voto firmavit, quæ illum Reginæ virginum ita conciliavit, ut eidem jam Episcopo cum choro virginum obviam proceſſerit. Iam ipse Dei Filius Dunſtani acta probavit. Nam cum ejus de Monachis in Canonicorum locum ſufficiendis ſanctiõni intercederetur, Crucifixi imago palam hanc vocem miſit: Non fiet: Iudicatis bene, mutaretis non bene. Ad calum vocatus negavit, ſe, niſi populum allocutus eſſet, iturum. Idcirco rapi eum neceſſe fuit; tertium certè cum lectulo in altum ſubvolavit. Tanta eſt boni viri in cælo expectatio.  
*Ex Suario.*

## S. PETRVS CÆLESTINVS.

19. Maii.

Vnicum modestiæ miraculum PETRVM CÆLESTINVM vides, qui exẽplo antehac in viſo, poſteà nunquam repetito, ſummo ſe Pontificatu ſponte